Q. D. B. V.

VTRVM NATVRALIBVS PRAESTENT VARIOLAE ARTIFICIALES

DISQVIRIT

ET

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI

IN

ALMA GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

IOANNE GEORGIO ROEDERERO D.

MED. ET ANAT. P. P. O. ACADD. IMPER. PETROPOL. ET REG. SVEC. SOC. SOC. REG. SC. GOTTING. SODAL. E. ET LAT. IEN. SOC. H.

PRO

SVMMIS IN ARTE SALVTARI HONORIBVS

PRIVILEGIISQVE LEGITIME ADEVNDIS

DIE VII. IVN. MDCCLVII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR


HINRICH ADOLPH NISSEN

HOLSATVS.

GOTTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA

curante FR. ANDR. ROSENBVSCH.




DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

VTRVM NATVRALIBVS PRAESTENT VARIOLAE ARTIFICIALES.

§. I.

Etſi non infrequentia ſunt noſtra tempeſtate ſcripta, eademque egregia, quae de ſaluberrima operationis ſpecie, variolarum inſitione exponunt; licebit tamen eandem in ſpecimine academico, dubiam quippe nonnullis necdum ſatis confirmatam, ſuccincte & pro otii ratione feſtinanter proponere. Adeo etiam graue eſt hoc



argumentum & humanae ſaluti cognatum, vt, ſi culpanda videretur operatio, dubitandi rationes, nihil obſtantibus autoritatibus plurimis, non eſſent reticendae; ſin vero probanda & ita, vt praedicatur, ſalutaris, ita generi humano amica, nimis eius & laudes & emolumenta nunquam repeterentur.

§. II.

Minime quidem animus nobis eſt prolixo ſermone in ea omnia excurrere, quae de ſummo huius morbi artificialis vſu, deque ratione eum excitandi & moderandi a variis auctoribus prolata ſunt, ad quos infra recenſendos referimus. Facile autem liquet, ad tria maxime momenta laudum capita redire; ad dubiorum, quae obiiciuntur, ſolutionem; ad calculos, ſiue comparationem rarioris fati lethalis ex morbo artificiali, cum frequentiori fato ex lue naturali; ad praedicationem emolumentorum, quae offerunt conueniens ad morbum praeparatio, apta tempeſtas, corpus ſanum & in plerisque aetas infantilis.

§. III.

§. III.

Grauiſſima eſſe iſta argumentorum pondera lubentiſſime fatemur. Quis inſitis variolis prae naturalibus locum denegabit, cum cognoſcit ſeptimum quemque hominem naturales variolas rapere, quando ex centum aliquot, quibus ars morbum confert, vix vnus, quin nullus quandoque perit? Quam facile morbus ſuperatur, cuius impetum bene praeparati exſpectamus, prae alio, qui noxiis humoribus obruto corpori & in ſuis neruis turbato tectas inſidias ſtruit! Quem fugit blandius cum infantia, blandius ſub miti coelo variolarum commercium, crudelius cum aetate adulta & ſub coelo rigido. Adeo etiam leuia ſunt quae inſitioni opponuntur dubia, adeo ſolide a doctiſſimis viris ſoluta, vt nihil, quo inſitionis virtus commendari poſſit, ſupereſſe videatur.

§. IIII.

Motum tamen eſt nouum dubium, conqueſtu voces ortae ſunt de incuria argumentorum, quae a priori, vt aiunt, ducuntur. Solum qui-

dem experientiae oraculum omnem haeſitantibus ſcrupulum euellere deberet in rebus machaoniis, niſi omnes & ſententiae cuidam addicti & eidem aduerſantes ad eandem ſedem confugerent. Ita etiam naturae noſtrae ratio comparata eſt, vt obſeruatorum cauſis magis, quam ipſa hiſtorica cognitione delectari videamur. Hoc itaque quicquid eſt vacui, in inſitionis variolarum doctrina, coniecturis qualibuscunque quadantenus explere tentabimus; probaturi ipſam inſitarum variolarum indolem neceſſario ex ſua natura mitem eſſe, omnique naturalium mitiorem; omnia licet, quae circumſtant, ſint paria, praerogatiuas adeo praeparationis, temporis & aetatis inſitionis laudes ſolas non facere *a)*, ſed ſaltem augere.

a) Optimum hinc euentum ſortiuntur rudiſſimae etiam inſitiones, variis populis vſitatae. cf. infra §. 26. de Inſitionis rudioribus quibusdam methodis. Succedit etiam operatio in Noſocomio Londinenſi, variolis & earum inſitioni dicato, quamuis ad minutiora quaelibet attendere ibidem non detur & naturali contagio aër repletus ſit. cf. *Rapport* de *Mr.* HOSTY *dans le Mercure de France 1755. aout. p. 172. ſeqq.* [illegible] in Anglia [illegible] ne prolixa praepara[illegible]

tur. cf. autores iſtius inſitionis mentionem facientes. v. g. DE LA CONDAMINE. *Iournal Britannique.* DOVGLAS &c. infra recenſendi.

§. V.

Et protinus quidem ſe offert contagii diuerſitas. Aeque autem, ac in artificialibus compertum eſt, ex miasmate naſci variolas naturales, non negabunt, qui externis ſpeciebus non decepti ad omnia circumſpiciunt. Reuocandi modo in memoriam ſunt inter Europaeos *a*), Afros *a*), Indos *a*), Groenlandos *b*), nouique orbis incolas *c*) morbi origo & progreſſus, ſerio ad ea attendendum, quae quotidiana praxis, de ſerie maxime morbi in vrbibus *d*) & in iisdem familiis, nobis vel inuitis obtrudit, vt de miasmatis virtute conuincamur; ſaepius licet miasmatis fontem ignoremus & efficacia alias idem carere animaduertamus: neque enim fontis ignorantia eundem obſtruit, neque riuulorum aliquot occluſi.

a) Cf. ILLVSTRIS ARCHIATRI PAVL. GOTTLIEB. WERLHOF. *Disquiſit. de Variolis & Anthracibus.* IOH. FREIND. *Hiſtoria Medicinae p. 524. edit. Londin. opp. Fol.*



RICHARD MEAD *de Variolis & Morbillis C. I. de origine Variolarum*, vbi ſuccincte omnis variolarum origo recenſetur. GEORGE MARTINE *Eſſays Medical and Philoſophical. Eſſay I. p. 78. ſeqq.* aliique. cf. & SIDOBRE *de Variolis & Morbillis. C. I. p. 106. opp. Morton.*

b) *cf.* GEORG. DETHARDING. Diſſ. *Peſtem varioloſam in Grönlandia enarrans Hafn. 1739.* anno demum 1733. primas variolas, easdemque peſſimas, puer in Groenlandiam transtulit.

c) Cf. RODERICI a FONSECA LVSITANI *Conſultat. Medic. T. I. n. 18. p. 170. de febri cum variolis. &* ILL. WERLHOFII *l. c. C. I. p. 15.*

d) Cf. Litterae D. D. IO. STORCHII ad D. D. STOCK, vbi manifeſta contagii in vrbem Iſenacum translati obſeruatio extat. Cf. *Comm. Litter. Noric. a. 1734. Hebd. XIV. p. 108.* Huc & ſpectat *obſeruat. 198. in Act. Nat. Cur.* Vol. IV. D. IO. FRID. BAVERI & WALDSCHMIDT. Diſſ. *ſingular. variolar. Th. X. p. 8.* Non raro obſeruare nobis licuit naturalis contagii eandem ac in artificialibus periodum: infantes nempe & adultos variolis correptos, qui ante nouem quaſi dies cum aegris, quibus puſtulae exſiccabantur, verſati ſunt. Notauimus in eadem domo ſimilem acceſſus ſeriem, ita vt infectio vnius infantis ad exſiccationem puſtularum in praecedente infante referri potuerit.

§. VI.

At propius ad noſtrum ſcopum ſpectat quaeſtio, cur neque omni tempore, neque in omne ſubiectum virus

virus ſuum euomat contagium naturale, rariſſime vero fallat artificiale? quaeſtionis enim ſolutio ad ipſam artificialium variolarum mitiorem indolem ſua quaſi ſponte nos ducit. Animaduertendum itaque primum eſt: nihil in corporibus mutandis valere impetum, niſi debilius impetu ſit corpus renitens, atque adeo, ſi idem maneat ſuperior impetu renixus, impetum eſſe augendum, vel renixum minuendum, niſi impetui aliquid accedat. Pari modo in corpore humano nihil quod ipſi inimicum eſt morbos excitare valet, niſi antea partium vires obſiſtentes inimico fuerint vel fractae, vel cauſa corpori inimica ita valeat, vt omne obſtaculum vincat. Quod autem obſiſtentes vires frangit *diſponentem cauſam* in ſcholis medicorum vocant. Vel maxime autem ad contagia hoc principium transferri debet. Ita ſua ſponte intelligitur, variolarum miasma non recipi in corpus, niſi aut dicta diſpoſitio adſit *a*), aut ſummo furore ipſum miaſma ſaeuiat. Paria aëris iura eſſe expe-

experientia docet: alia videlicet aëris diſpoſitio contagiis inimica eadem repellit, alia amica ſibi iungit, quo caſu Epidemicae Variolae graſſari dicuntur *b*).

a) Hinc omnino fit, vt frater cum fratre aegro, ſoror cum ſorore aegra, in eodem lecto decumbere, ex eadem patina nutriri queat, ſine ylla infectionis nota.

b) Aëris vim in morbis Epidemicis faciendis iam agnouit HIPPOCRATES: *Libr. de natur. hominis n. 19.* „*Quum vnius morbi popularis graſſatio conſiſtit, manifeſtum eſt, diaetam non eſſe culpabilem, ſed quem trahimus ſpiritum in cauſa eſſe: palamque eſt inſuper eum ipſum ſpiritum, ſiue aërem morboſam aliquam exhalationem habere.*„ cf. & SYDENHAM. *S. I. C. II. p. m. 6.* RHAZES. *Commentar. de Variol. & Morbill. C. II.* „*Quoad tempora, ſeu anni tempeſtates, in quibus ſolent oriri variolae, haec ſunt varia; ſed praecipue extrema pars autumni, & veris principium; & quando per aeſtatem pluuiae intenſae & crebrae ſunt, & venti auſtrales perflant plurimi & continui; & denique quando hyems calida eſt, & ventis auſtralibus perflata.*„ Dari coelum, quod contagii vim maximam, quin totam infringat, probatur in *Gentleman's Magazine. Nouembr. 1755. p. 502.* vbi recenſetur, in Inſula St. Helena variolarum contagio nunquam laborare incolas, neque infici, quamuis linteamina variolis laborantium in nauibus ibidem lota fuerint, (qua tamen ratione Hottentotae infecti ſunt. cf. MEAD l. c.) a Variolis autem infici incolas Inſulae St. Helenae,

lenae, ſi in Angliam vel aliam regionem migrauerint: ad ipſam inſulam naues in portu morantes, & variolis decumbentium plenas, nihil variolarum relinquere. Fauens etiam variolis aër malignas ſaepius ſolet reddere, inimicus mites. Ita regiones, quarum maxima tempeſtas calida eſt, cum pluuiis intenſis & crebris, morbi indolem malam vehementer exaſperant. Frequens & periculoſus morbus eſt in Inſula Barbados. cf. GRIFFITH HVGHES. *natural Hiſtory of Barbados L. II. p. 39.* Plurimos tamen ſeruat nunc vſitata ibidem variolarum inſitio. Quam maxime lethales ſunt in Para, Prouincia Braſſiliae. cf. M. DE LA CONDAMINE *Abregé d'un voyage, dans les Mem. de l'Acad. Roy. d. Sc. a 1745.* Ita & Nigritae vix poſſunt ſanari. Valde etiam Variolae ſunt periculoſae in Batauia Orientali, Coromandel, Malabar. &c. & quandoque in promontorio bonae ſpei. cf. MEAD *l. c. C. I. p. 10.* Anno etiam 1756. ferociſſime in iſto promontorio ſaeuierunt, alteram incolarum partem, 3000 homines numero excedentem, e medio tollentes. *cf. London Euening Poſt. n. 4593. a. 1757. April. 14.* cf. & THOMAS SCHWENCKE *noodige Bericht* &c. *Bibl. d. Sciences. T. VI. P. I. p. 227.* Quae regiones copioſis exhalationibus teguntur, ſolent malas variolas nutrire, velut in magnis vrbibus & paſſim regionibus humidis, Belgio v. g. obſeruatur. Ita Cayri bis per annum variolae in pueros malignae vagari ſolent. cf. PROSPER. ALPINI *Medic. Aegyptior. L. I. Cap. XIII. p. 50.* Cayri & Alexandriae autumnali tempore variolae malignae graſſantur, quando aquae ſtagnantes Nili halitus putres & valde veneficos in aërem exhalant. cf. PROSPER. ALPIN. *L. c. C. XIV. p. 55.* & OLIVIER D'APPER *Beſchreibung von Africas (Egypten) p. 128.* Londini, docentibus Catalogis mortuorum, quauis hebdomade editis, vix vnquam ceſſat morbus, & multa

millia hominum ea lue quotannis pereunt. Benigniores obſeruantur in locis aridis & cliuoſis, qualis eſt Heluetia, vbi raro epidemica indole incolas infeſtant. Simili priuilegio gaudere vrbem Cliuiam teſtatus eſt. Cl. D. D. SCHÜTTE; quae quippe benignas experitur Variolas, quamlibet loca circumiecta malignis vexentur. Vt plura alia exempla taceamus, vbiuis locorum obuia.

§. VII.

Dein conſiderare oportet grauius quidem obſtaculum pluribus cauſſis illudere, ipſum vero grauiorem ruinam pati, quo validiori victori ſubiacet. Debile contra obſtaculum, leuiſſimae cuilibet violentiae obediens, lapſum etiam mitiorem experitur. Omnis haec lex & humana corpora dirigit *a*). Videas hominem ſaniſſimum, robuſtiſſimum, in morbos morborumque cauſſas ſuperciliosum, quam omnes aëris & aquae iniurias ferat, quam parum moueatur crapula, quam duriſſimis exercitiis non defatigetur: videas autem eundem morbo tandem victum, quisnam ſit inimicus, quocumque ſit confligandum apparebit. Debilior alius & valetudinarius a frequentiore quidem ſed mitiore hoſte ſuperari ſolet. Hinc

procul

procul dubio etiam eſt, quod mulier bis patiatur. Non difficile eſt intelligere, in hoc quidem ad mutationes faciendas paratos eſſe neruos debiliores, leuius autem agitatos leuiora ſymptomata & ſenſus & motus, aucti vel minuti, faciliusque ſuperabilia, excitare: in illo prius iſta ſymptomata non moueri, quam ſumma vi & periculo totum neruorum ſyſtema concuſſum fuerit.

a) Liceat nobis in vnico ipſarum variolarum exemplo ſubſiſtere: Infantes mitius vtplurimum haberi a Variolis quam adultos notiſſimum eſt, peſſimeque multari ſeniores. MR. DE LA CONDAMINE l. c. refert, quod Indi nudi, in aquam ſaepe demerſi, duriore cute tecti, in ſyluis viuentes, ſaeuius vexentur, quam veſtimentis obducti & inter Europaeos verſantes: idem etiam legitur in SCHWENCKE *noodig bericht* &c. ſb. finem libelli. In vniuerſum acutae febres in vigore aetatis peiores eſſe ſolent, quam in infantia vel ſenectute. HIPPOCRATES *Libr. I. de Morb. n. 20. p. 144. Iuniores patiuntur affectiones ampliores & vehementiores. Seniores raro patiuntur, & ſi patiantur, debiles ipſas perpetiuntur*, VTPOTE IPSI DEBILIORES EXISTENTES. *Iuniori fiunt affectiones vehementiores*; VTPOTE QVI HABET CORPORIS VIGOREM, ET SICCITATEM, ET CARNEM DENSAM AC ROBVSTAM, ET AD IPSA OSSA ASSIDENTEM, CVTE CIRCVM IPSAM CIRCVMTENTA. *&c. n. 21. p. 145. In Iuniore affectiones ſunt vehementiores & febres acutiores & frequentiores. Senioribus vero affectiones ſunt debiliores & fe-*

bres mitiores ac paucae. cf. & Venerandi FACVLTATIS PRIMARII *Differt. de Sene valetudinis suae custode.* §. 5. p. 18.

§. VIII.

Si ad optimas artis leges in aliud corpus variolas transferimus; cutem incidimus, minimos neruulorum vasculorumque ramos & fibras motrices quam plurimas diuidimus & aperimus, ita in ipsos neruulorum vasculorumque tubulos contagium ferimus, omni neruulorum vasculorumque obstaculo sublato. Nihil adeo cum sit, quod ex nudis apertisque neruis contagium repellat, vix vnquam exspectationem successus fallit, sed desideratus morbus certissime arcessitur *a*). Eadem etiam neruulorum facta debilitas leuiorem contagii impetum recipere potest, in certissimum futuri aegri emolumentum: si quidem recepti impetus rationem quicquid est in neruis turbarum sequitur, & moderatiora cuncta manent morbi symptomata *b*) atque sequelae.

a) Omnes, quotquot extant, de Insitione obseruationes in hoc momento consentiunt.

b) Cel. SYDENHAM, naturae in variolis fidus interpres, bene notat *Op. Sect. III, C. 2, Variolae regulares p. 123.* discretas variolas impe-

impetus infantum epilepticos praecedere, quod etiam phoenomenon, in infantibus frequens, in adulto nuper ante eruptionem optimarum pustularum obseruauimus. Quam immunes vero a neruorum affectionibus, etiam benignioribus caeteroquin, sint artificiales variolae, inter alia etiam cognouimus ex istorum impetuum defectu, postquam infantibus, cum debitis cautionibus, variolas inseuimus. Raras etiam conuulsiones notat TISSOT. *S. VIII. §. 43.*

§. IX.

Diffusum per aërem, vel supellectili inhaerens naturalium variolarum contagium in tectos vbiuis, munitos & integros neruos incurrit, externam epidermidem, internam narium, oris, faucium, spirantium organorum & digerentium, aliorumque late ferit, demumque per inuolucra neruos mutat, quando ipsum suo valore omnes istarum partium neruos superare potest. Facile autem differentia sequelarum percipitur, quas pauciorum arteque debilitatorum neruorum mutationes & aliae plurium nobiliorumque, maxime pulmonalium, neruorum, quique valide cum restiterint omnem etiam impetus violentiam experiuntur, agitationes afferunt.

§. X.

Dicta licet debilitatis artificialis consideratio satis illustrare posset, cur artificialium variolarum mitior indoles prae naturalibus obseruetur: attamen offert se alius insuper campus non minus ignobilis, ipsum nempe vulnus & e vulnere vlcus. Si e longinquo cuncta, quae huc spectant, repetere vellemus, amplus de crisibus disserendi locus esset. Id vnicum vero, sagacibus medicis non ignotum, submonere nobis liceat, omnem morborum indolem ex natura mutationum, quas Crises vocant, iudicari, eoque meliorem & benigniorem censeri morbum, quo ad bonam Crisin facilior est. Neque omittere debemus illud: optimas quidem illas esse crises, totique morbi periculo soluendo aptissimas, quae per secretionum organa naturalibus humoribus reiiculis auferendis dicata, omne quicquid est morbosi humoris, morbum siue gignens, siue ex morbo genitum, eiiciunt. Nemo etiam nescit, eam omnium & singulorum morborum non esse benignitatem, sed prolixiora in multis morbis

bis naturae esse molimina: in illis videlicet, in quibus non saltem aliquid peregrini & neruis inimicum sanguinis massae admistum videtur, simplici separationis negotio eliminandum; sed tota humorum, quae vitam sanitatemque seruant, maxime nutritii & vitalis, indoles mutata videtur, nouo quodam motu intestino, noua quasi digestione vel coctione immutanda, solaque impurarum partium separatione non restituenda. Cui notum est quaenam puris sit indoles, quibusque morbis sit familiaris, facile intelliget, nos ad purulentam crisin innuere.

§. XI.

Separationum autem crisibus purulentas suo iure postponunt Medici, timent magis, cautiusque moderari praecipiunt, vixque alius fauorem exspectant, quam quae in cutem eique subiectum rete spongiosum abscedit. Solent autem saepius interna nobilioraque viscera *a*), cum summo vitae & sanitatis periculo, obsidere vlcera; solent in scirrhosa concreta *b*) fatiscere, in aquosas cruditates *c*), cum ipsa animali corpori adeo inimica gan-

gangraena permutari *d*); quin ſola ſua abundantia corpus peſſumdare *e*).

a) Huc omnino ſpectant omnis generis vlcera interna, Pulmonum frequentiſſima, Hepatis, pinguedinis renalis, Vteri, Cerebri &c.

b) Ita ſubnaſcuntur Scirrhi, chronicorum morborum foecundiſſimae matres.

c) Omnes Hydropum & vniuerſalium & particularium riuuli hoc fonte effluunt.

d) Gangraenam formari, vbi pus exſpectamus, nemo Chirurgorum neſcit: ſolet id genus mali a neruorum debilitate, velut in ſenibus, & nimia agitatione, velut in fracturis complicatis, cf. HIPPOCRAT. *L. de Fracturis S. III. n. 30.* neruorum ligaturis, preſſionibus &c. origines ſuas repetere. De vlcere celluloſam peluis telam quod repleuit, a partu exaſperato & nigro cf. *Praeſid. Decad. de partu laborioſo. Obſ. VIII.*

e) Frequens vtique amputationis periculum.

§. XII.

Omnia haec in Variolis notamus. Vnicam *a*) ex cutis inflammatione & ſuppuratione ſpem fouendam eſſe in diro hoc morbo non haeſitantes aſſerimus; minime ſaltem inani illi ſpei fidentes, qua formatis de ſanando morbo in febrili

ſtadio

ſtadio coniecturis quidam demulcentur *b*). Quis enim in morbis furca expelleret naturam? Quis impune optimam morbi criſin auerteret? Minuant quae pericula & puris fallacias tollant, rationalem methodum & apta remedia reperire medicis vtique licet. Quicquid ſane in hoc morbo periculi notatur ad impeditam vtplurimum puris geneſin, rarius conſumentem corpus abundantiam redit: ad *c*) ſcirrhoſas nempe puſtulas & cruſtas, aquoſas ſ. cryſtallinas & gangraenoſas: quibus in interna viſcera congeſtiones, inflammationes neruorumque diſtentiones iungi obſeruantur *d*).

a) Succedanearum ſolutionum, diarrhoeae & ſaliuationis, fructus hoc aſſerto non negamus. *cf.* SYDENHAM. *l. c. p. 129.*

b) Inter Arabes iam ſpes variolas remediis praecauendi inualuit. cf. RHAZES *de Variolis & Morbillis* Cap. V. *de praeſeruatione a Variolis, priusquam appareant; & de modo impediendi, quo minus multiplicentur, poſtquam apparuerint. p. 124. edit. Meadianae* add. ALSAHARAVII Lib. Theor. & Pract. Tract. 13. H. BOERHAAVE *Aphoriſm. de cognoſcend. & curand. morbis. Variolae n. 1389.* ſqq. ait. „*Stimulus videtur auferri poſſe correctio-*„*ne per ſpecifica, vel methodo vniuerſali antiphlogiſtica* (quo

fere Rhazis consilia tendunt). Celeberrimi viri autoritate Angli inducti multa, sed frustrati, experimenta fecerunt. cf. D. DOVGLASS's *Essay concerning the small pox. p. 12. & 13.* Peculiarem de hoc argumento Tractatum conscripsit WILLIAM HILARY. *An Essay an a Method of curing the small pox as an inflammatory Disease, by taking of the Inflammation, and thereby preventing the eruption and suppuration, of all or most of the pustules. Lond. 1740. 8vo.* annexus Tractatus Libello de Variolis. Nec minus integrum de eodem argumento in suo de Variolis Libro Caput (IX.) conscripsit D. LOBB. cf. & WALDTSCHMID de suo liquore antiuariololoso in Disp. cit. Th. XIV. p. 13. & *Breslauer Sammlungen A. 1718. Mai. Class. V. p. 1104.* & GEO. WOLFFG. WEDELII *Diss. de praeseruatione variolarum. Jenae 1711.*

c) cf. MEAD. *de Variolis C. II.*

d) In frequentioribus etiam cadauerum sectionibus istiusmodi indolis Variolas semper obseruauimus iunctas spasticarum in Intestinis affectionum perspicuis notis, ita vt ipse Voluulus siue Intestini in Intestinum susceptio non infrequens fuerit. Saepius etiam inflammationum indicia apparuerunt, foedaeque viscerum maculae. cf. THEOPHIL. BONETI *Sepulchret. L. IV. Sect. I. p. 1508. sqq.* RICHARD MEAD *Discourse on the plague C. III. p. 154.*

§. XIII.

Velut autem in omni morbo purulento, ita vel maxime in variolis duplex pro euentu cognoscendo momentum facit: pronius nempe in cutem puris

puris molimina abſcedere cum pacatiora, ſi ita loqui fas eſt, neruorum ſunt ſymptomata, & regularia magis febrilia; facilius autem in alia loca aberrare & in crudiorem indolem quamcunque fatiſcere, quoties ſeditioſae quaſi ſunt & turbulentae, quae ex neruis fluunt agitationes, cum ſodalitio febris depreſſae. Nihil autem nos terrere, cum in laeſam cutem variolas ſerimus, neruorum ſyſtema, non agitatum, probatum (§. X.) iuimus. Quid ergo mirum purulentam criſin in artificialibus variolis haud difficulter, poſt optimam febrem, in cutem deriuari.

§. XIV.

Dein ipſam illam, alio reſpectu, laudatam debilitatem & huc trahendam eſſe obſeruatio nos monet. Solent ſane, ſi caetera, quae circumſtant, paria fuerunt, critici abſceſſus debiliorem partem obſidere, quae videlicet irruenti digeſtionis agmini minime reſiſtit. Reſpiciat, qui aſſenſum denegat, ad frequentiam abſceſſuum in celluloſa tela, tam ſub cute, quam in vicinia re-

 num,

num, aliisque ſedibus. Laxa pulmonum ſubſtantia frequentiſſime recipit puris ſentinam. Quin, ſi alias in ſedes, duriores caeteroquin magisque reſiſtentes, vlcera critica abſcedunt, ſaepius omnino ſingularem in iſto ſubiecto laxitatem *a*) vel haereditario iure aſcitam, vel ex priſtinis morbis natam, vel ex cauſa occaſionali formatam, non obſcure cognoſcere medico licet.

a) A. C. CELSVS *L. I. Cap. 3. p. m. 28. „Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet.*

§. XV.

Optimo itaque conſilio, dum Variolas inſerimus, cutis partem incidendo debilitamus *a*) locumque paramus, in quem, peiorum etiam, variolarum nimiae & abundantes agitationes purulentae virus ſuum eructare poſſunt. Ita ab internis & nobilioribus viſceribus omnem vlceris vel cuiuscunque labis metum auerruncamus, fugamus phthiſin, abdominalium viſcerum inflammationes & neruorum diſtentiones, ſpaſticas in fauces congeſtiones, Aphthas, caliginoſa oculorum vitia, aurium ſurditates, chronica articulorum vlcera & rebellia,

rebellia, aliaque quamplurima mala incompletis variolarum criſibus ſuccedentia; quin neruos quaſi & ſanguinem ita expurgamus, vt nihil in ipſis remaneat, quod poſt malignas variolas neque per bona vlcuſcula recte ſolutas, alias per omnem reliquam vitam habitum valetudinarium cum frequentioribus febris lentae ſcenis relinquere ſolet.

a) Debiliorem locum ad puris vim recipiendam aptiſſimum eſſe, in conſpicuo nuper ſpecimine vidimus. Filo cum vulnus ad variolas excitandas repleuiſſemus, ſine febris ſequela vel variolarum vulnus ſenſim coaluit, copia licet digerentium medicaminum in ſubſidium vocata fuerit. Facile intelleximus filum, ante 7. menſes pure imbutum omnique contagio orbum, illaeſum vulnus reliquiſſe. Nouo inter haec vulnere facto recentique, ex naturalium variolarum commercio, filo in idem depoſito, cum ipſis erumpentibus variolis prius vulnus, quod iam cicatrice tectum conſanuerat, recruduit, pureque ſua ſponte, quin aliquot tuberculis, in puſtularum formam ductis, plenum, in tumentia labia, ſine vllo artis adminiculo, & foedum vlcus effloruit. Vix puſtularum decas cum optimo morbo e facie ſurrexerunt.

§. XVI.

Eo certius vero inſitum vulneri variolarum pus ſalutare eiusmodi vlcus parat, quo ipſum ſa-

 nis

nis humoribus inimicius eſt. Norunt enim omnes, qui manu medentur & vulnera ſanant, quantum vulneris ſanationem impediant, vlcerique formando faueant, recenti vulneri inmiſſa corpora peregrina: accedit digerentis medicaminis vis & auxilium.

§. XVII.

Ipſa naturae ſalutaria molimina, modo iſta non praetereamus, vlceris variolarum contagium vel antecedentis, vel ſaltem comitantis ſummam praeſtantiam nos docent. Saepius omnino obſeruauimus, iſtos infantum, inter plures etiam eadem tempeſtate, quin ex eadem familia decumbentes, mitius a variolis habitos fuiſſe, qui minus externa ſpecie, ac reliqui valebant; iſtos nempe, qui frequenter achoribus, cruſtis lacteis, aliisque eiusmodi vlcuſculis capitis & faciei, laborare ſolebant, quibus adeo ad vlcera cutis *a*), criſin videlicet variolarum vnicam completam, formanda magna erat diſpoſitio: quin optimo cum ſucceſſu iſtiusmodi deformitatibus

ipſas

ipſas variolas fuiſſe adiunctas. At triſtiſſimum ſaepe variolae euentum ſortiuntur in formoſiſſimis infantibus, quibus laeuiſſima cutis & puriſſimum capillitium bonam & integerrimam valetudinem indicare videbantur: phoenomenon ſane, ſi plerasque obſeruationes in memoriam reuocare velimus, non infrequens.

a) DETHARDING in Diſſ. cit. notat plerosque fere Grönlandos, nempe ex 2000 laborantium ſeptem modo pueros in gratiam cum ſanitate rediiſſe, inter quos fuit ſcabioſus, & alius „*puer Grön-„landus, cui vlcus fuit in latere dextro, e quo multum puris „quotidie effluxit, manſit a variolis liber, ſed modo illud chirur-„gica manu fuit occluſum, variolis correptus diem ſupremum „obiit.* §. 9. p. 6.

§. XVIII.

Aliquot etiam ante febrem varioloſam diebus, alicubi partium, praecipue faciei, inflammatum tumorem ſubinde notauimus, qui cum ipſo febris initio albicantem ſuppurationis apicem efferens per omnem ſequentium variolarum decurſum in inſigne vlcus excreuit, vel cum variolis, vel poſt easdem exſiccandum. Vocant Angli *a*) iſtam

iſtam vlceris ſpeciem *Maſter-Pock.* Iſtiusmodi vero vlcere quae exoptatior ſocietas variolis contingeret? quae videlicet non magis fauſtiſſimum morbi euentum largitur, & faciem ab omni foueolarum dedecore vindicat *b*), quam futurae valetudinis ſolidum fundamentum iacet; certiſſimo documento, omne variolarum exitium iſtud vlcus ſuſtuliſſe. Adeo etiam ſanitati iſtiusmodi vlcera fauent, vt metam variolarum longe ſaepius ſuperent, ſanie ſua omne peiorum variolarum aerarium exhauſtura, quoties vel in populum aduerſae graſſantur, vel in impurum corpus decumbunt.

a) *cf.* RICHARD MORTON. *Pyretologiae ſiue Tractat. de febribus inflammatoriis vniuerſalibus. C. VI. de Variolis. p. 56.* „*haud raro* „*videre eſt, primo ipſo inuaſionis die, puſtulam vnam vel alte-* „*ram in facie, collo, vel manu, quaſi eruptionis futurae prae-* „*nunciam, quae ceteras magnitudine & vigore longe ſuperans,* „*inde a nutricibus & mulierculis lingua vernacula nuncupari* „*ſolet, The Maſter-Pock.* Sed puſtulae inflammationem quandoque iam ante inuaſionem vidimus, ſuppurationem cum ipſa inuaſione.

b) Solum vlcus iſtud foueolam excauare, reliqua facie intacta, ſolet.

§. XIX.

§. XIX.

Tantum itaque abeſt, vt chronicum vlceris, ab inſitione nati, ſtillicidium, variolae licet ipſae deſaeuierint, in operationis, velut ignorantes crepant, opprobrium cedat; vt potius ſummam laudis partem ſuo iure ſibi vindicet. Quod apto corpori, ſub fauentibus circumſtantiis, vlcus paratur, iuxta cum ipſis variolis exſiccatur; quoties vero impurum corpus, minus fauentibus iis, quae circumſtant, maxime coelo, variolas accipit, iſte puris protractus fluxus & variolarum reliquias & quicquid morboſum corpus premit, educit.

§. XX.

Cui quidem annotationi vlterius paulo nobis inhaerere licebit. Inſitionis certe praerogatiuae Medicis arridere ſolent, qui ex contagio translato variolarum in ſingulis ſubiectis ortum deriuant. Aegrius vero in huius operationis partes trahuntur, qui cum Arabibus *a*) naturalis fermenti deſpumationem fingunt, quod in ſingulis ſubiectis

inde a prima formatione actiuum, ſanguinis maſſam agitans & plerorumque morborum fomiti ſe iungens, maturum tandem & ſufficiens praecipitetur ſecumque ducat peſſimorum morborum ſemina & principia. Inde putant fieri, vt ſuperato rite variolarum morbo, expulſis adeo peſſimorum morborum ſeminibus, magis omnis ſanitas confirmetur & ad epidemicos morbos diſpoſitio auferatur: quod quidem beneficium ab artificialibus variolis exſpectari non poteſt, quae videlicet praemature ſaepius excitantur, antequam naturale variolarum fermentum maturuerit ſecumque ſemina morboſa ducere potuerit. Nihil ſane, ex hoc ratiocinio, pro Inſitionis beneficio probare omnes iſtos calculos, qui pro minori mortis ratione in artificialibus variolis probanda ſubducuntur: quum ab iſtis variolis corpora non rite expurgata in aliorum morborum epidemicorum praedam cedant; minor vero mortalium numerus, quem naturales variolae relinquunt, ſine periculo inter iſtiusmodi morbos verſetur, vel ſaltem mitius multo mulctetur.

a) cf.

a) cf. RHAZES *l. c. C. I.* HALY ABBAS *Regal. dispoſit. Theoric. L. p. 97.* AVICENNA *in Canone. L. IV. Fen. I. Tract. 4. Cap. 6.*

§. XXI.

Quodſi ad iſta ratiocinia fermentum varioloſum morborumque ſeminia negando regeramus, nullo profecto negotio haec tela excipimus. Veremur autem quam maxime, vt adeo ex facili quispiam ſe ab hypotheſi, quam deperit, depelli patiatur. Certius itaque Inſitionis res gerimus, quando cum ipſa hypotheſi Inſitionis etiam priuilegia communicamus. Largimur lubenter bene ſuppuratas variolas morborum ſeminia eliminaſſe pro ſolidiori futurae ſanitatis fundamento, hosque (ne aliquid malorum in mundo ſit, quod emolumenti etiam phyſici particulam non afferat) diriſſimi morbi fructus agnoſcimus: multo vero vberiores laetioresque in iſto, quod diximus, puris protracto fluxu inuenimus, adeo ad ſingulas corporum rationes facto & omne, quod morboſum eſt atque ad vlcera diſponit, extrahente. Neque, arbitramur, culpabitur remedium, quod praemature licet neceſſariam, vt aiunt, ſanguinis deſpumatio-

nem facto vlcere promouet. Ne quid dicamus de pertinaci illa ad lentas febres (§. XVI.) dispositione, quam ex peioris indolis variolis, non rite despumatis, corporibus antea saniſſimis insitam toties obseruauimus, vt vel ipsam phthisium frequentiam ex parte etiam variolarum malignitati adscribere audeamus: quoties nempe hic morbus completa suppuratione, quae eius natura est, ex imo fundamento non eradicatur, sed perpetua ad aliud olim vlcus formandum semina in corpore relinquit.

§. XXII.

Medici etiam, qui salutarem naturae ductum imprudentes fraenare non satagunt, deriuationum & vlcerum praesidia magni facere didicerunt. Nata hinc sunt sinapismorum *a*), scarificationum *b*), vesicatoriorum *c*), quin setaceorum *d*) ab exitu variolarum, beneficia, puris squallores in cutem deriuantia. Solent sane, vt dictum est (§. XVI.), peiorum variolarum incompletae solutioni, varia cutis, articulorum, oculorum, aurium, nasi, genitalium, pulmonum, renum & s. p. vlcera surroga-

rogari: in qua vero naturalis euentus incertitudine medici vtique officium eſt, naturae motus ad optima loca dirigere. Qui etiam interno medicamine corpora, dum variolae inter habitacula oberrant, ita praeparare & diſponere cupiunt, vt recipiendum forſan contagium mitiorem morbum excitet, id medicaminis excogitent, quod faciat vt in ſummum corporis tegmen agitationes neruorum, quae pus coquunt, ſecurius defluant. Sola diaphoretica id praeſtare non arbitramur.

a) cf. CEL. ARCH. ROSEN. Diſſ. *de Variolis curandis. Vpſal.* 1754.

b) cf. CEL. DETHARDING. *Diſſert. de facie a variolarum inſultibus praeſeruanda. Roſtoch.* 1754. ſcarificationes cruentas manuum & pedum ad auertendas a facie variolas commendat & ingenioſe notat, circa partes corporis laeſas & ſaucias puſtularum plurimas colligi. Mirari adeo ſubit eundem inſitionis fructum perſpicacem virum ex inſitione non decerpere.

c) Memorabile exemplum legitur in *Journal Encyclopaedique T. IV. P. I. p.* 120. A facie omnes puſtulae in nates deriuabantur, ad quas fortuito veſicatorium delapſum erat.

d) De Setaceorum praeſtantia in morbis, cum puris interni metu, perfecta criſi non ſolutis, conferri merentur, quae diſſerit ILL. ARCH. BRENDELIVS in Diſſ. *de Phthiſeos Hecticaeque diſcrimine & ſetaceorum vtrobique vſu. A.* 1754. & ad Praeceptoris mentem CL. D. GEO. GVIL. FEVERLEIN Diſſ. *de Vlcerum artificialium in criſibus febrium acutarum imperfectis praeclaro vſu. A.* 1754.

§. XXIII.

Reliquae etiam aegritudines, quae ad ſimilitudinem variolarum aeſtimari poſſunt, ad easdem leges reguntur. Peſſima contagioſarum lues, ipſa peſtis, quae ſudore & bubonibus optime ſoluitur, vlceribus emollitur. Quotquot ſane ſcriptorum quae obſeruarunt enarrant, conſilio quaſi viciſſim communicato conueniunt ſecurius nihil praeſtantiusque a peſtis malignitate tutos praeſtare inter contagia verſantes vlcere, quod ante contractum morbum corporis quandam ſedem occupauit *a*). Procul etiam dubio vlceris beneficia peſtis inſitionem commendarunt *b*). Quamuis, quod vltro largimur, ſimplicis vlceris in peſtilentia prae inſitione praeſtantiam agnoſcamus, ſimilem in peſte, quae variolas ſtipat, morbi nutriendi neceſſitatem non animaduertentes. Variolarum certe metus, inſitione blandiſſime pellendus, per omnem vitam hominem non deſerit; quum peſtis periculum rarius ſit.

a) Ope-

a) Operae pretium esse putamus, argumenti grauitate inducti, aliquot autorum testimonia colligere. IOH. HERCVLANVS. S. ARCVLANVS (teste QVERCETANO) habetur omnium primus, qui cauteria tempore pestis applicanda instituit. HIERONYMVS MERCVRIALIS *Variarum Lectionum. Lect. de pestilentia. Cap. XXIII. p. 31. asserit.* „*Possum testari, me innumeros hac peste* „*extinctos vidisse, nec vnquam vidisse quenquam, qui haberet* „*cauterium, praeter vnum tantum, atque erat ille sacerdos*: dein laudes cauteriorum praedicat, „*quandoquidem tanquam* „*per cloacas continuo ichores praui & putredini obnoxii educun-* „*tur.*„ FELIX PLATERVS *Praxeos Medicae T. II. L. III. C. II. p. 158.* Vlcera externa commendans addit: „*scrotum monachus* „*quidam Lugduni A. 1564. peste regnante perforabat, vulneri-* „*que radicem Hellebori, sicut equis in morbo Hünschs fieri solet,* „*infigebat, sicque viros a peste tutos fore pollicebatur.*„ AMBROSIVS PARAEVS *Opp. Chirurgicor. de Peste. L. XXI. C. XII. p. 617.* vt duo vlcera tempore pestis applicentur suadet. *Cap. XVII. p. 621.* ait: „*Obseruaui eos peste minus tentari, quibus cancri sunt vl-* „*cerati, quibus nares foeda ozaena diffluunt, lue venerea absces-* „*sibus & vlceribus foeta correptos, scrophulosos, elephanticos,* „*leprosos, scabiosos* (cf. supra dicta §. 18.): *omnes denique, qui-* „*bus vlcera sunt in corpore fistulosa & fluentia.*„ NICOLAVS MASSA *Lib. de Peste. (edit. Meadianae Londin. 1721.) Tract. II. C. VIII. p. 103.* multa de vlcerum efficacia ad immunitatem a peste disserit & ad ea, quae vidit, prouocat. FABRICIVS HILDANVS *Obseruationum & Epistolar. Chirurgico-Medicarum. Cent. IV. Obs. 23. & Cent. IV. Obs. 86. p. m. 306 & 307.* „*Neminem eorum, qui fonticu-* „*los in brachiis & cruribus habuerunt, (praeter vnum aut alterum* *sum-*



„summe cacochymicum) peste obiisse memini, & proinde prae-„sentaneum praeseruatiuum esse tempore pestis, cum in aliis „multis, tum etiam in memetipso obseruaui. Ego enim duos habeo. &c.„ QVERCETANVS *L. III. Cap. 2. p. 66. inquit.* „*Noui „vtique multos Chirurgos pestiferorum curationi destinatos, qui „ad propriam praeseruationem cauteriis melius, quam alia qua-„uis cautione sibi prospexisse asseruerunt.„* cf. & PETRVS FORESTVS *Opp. L. VI. Obs. XV. &* IVLIVS PALMARIVS CONSTANTINVS *de morbis contagiosis. L. de febre pestilenti. Cap. XV. p. 435.* ISBRAND DE DIEMERBROECK *Tract. de Peste. L. II. Cap. VIII. p. 150.* „*Cauteria, seu fonticulos per ea excitatos, vtilissima „fuisse obseruauimus - Tali ratione multi praeseruati sunt.„* &c. NATHANAEL HODGES λοιμολογία, *seu pestis nuperae apud populum Londinensem grassantis narratio historica. Londin. 1671. S. VIII.* asserit, „*quod quoties in loca maxime contagiosa se con-„tulerit, toties brachii pars, vbi situs fuit fonticulus, pessime „cruciaretur, effluente mox sanie, cum dolore pungitiuo, lanci-„nante.„* GVALTER HARRIS *Diss. de peste. p. 35. sq.* fonticulos & magis setacea ob vberiorem puris copiam laudat, atque medici exemplum refert, qui duobus setaceis a contagio se praestitit incolumem: idem priuilegium tribuit naturali cuilibet vlceri inueterato & scabiei (cf. supra §. 18.) speciebus. M. D'ANTRECHAVS *cheualier de l'ordre de St. Michel, premier Consul de Toulon pendant la dite année. Relation de la peste dont la ville de Toulon fut affligeé en 1721. avec des observations instructiues pour la posterité. Paris 1756. 12.* Vti superiores monet inter reliqua remedia praecauentia eminere fonticulum per omne tempus apertum. Propriam salutem ozaenae tribuit, quam

quam mox ante pestem contrahens sanationi committere sibi pro temporis ratione non licuerit.

b) cf. quae proponit D. STEPHANVS WESZPREMI Medicus Londinensis in *Journal Etranger Jul. 1756.* Quid? quod VATERVS iam, vt erat vir sagax & ingeniosus, de vtili inoculatione pestis coniecturas proposuerit. cf. Tr. patrio sermone conscriptus *das Blatterbelzen* &c. *p. 37. sqq.*

§. XXIV.

Tutius etiam in boum peste, facto vlcere *a*) vel insitione per vlcus *b*), vix est praesidium. In rabie canina vlcere diu aperto nil est praestantius *c*). Quin ad ipsos morbillos *d*) insitionis beneficia commendantur.

a) L. I. M. COLVMELLA *de re rustica. Lib. VI. C. V. ad auertendam in bobus pestem subula iubet, vt auricula perfodatur & radicula Consiligo inseratur: in eam deinde auriculam omnis vis morbi, pestilensque virus elicitur, donec pars, quae subula circumscripta est, demortua excidit, & minimae partis iactura caput conseruatur.* (in edit. Gesnerian. Scriptorum rei rusticae. P. I. p. 577.) Testatur QVERCETANVS l. c. pastoribus & armentariis id adhuc vsurpari substitutis pro Consiligine Tithymalis; & procul dubio a brutis ad hominum pestem hoc artificium translatum esse. cf. & IO. FREIND *Histor. Medicin. p. 387. sq.* edit. Lond. fol.

b) cf. VLRICH. CHRISTOPH. SALCHOW. *von der Rindviehseuche Berlin* 1755. 8*v*. Sect. IV. §. 86. *sqq*. p. 59. *sqq*.

c) CLAVD. GALENVS *L. de Theriaca ad Pisonem Cap. 16.* praecipit, vt vulnus maius fiat, & apertum longo tempore perseueret &c. AETIVS *Tetrabibl. II. Serm. II. Cap.* 24. A. CORN. CELSVS *de Medicina L. V. Cap.* 27. *n.* 2. FABRIC. HILDANVS *Obseru. & Epist. Chirurg. Medic. Cent. I. Obs.* 87. & *Cent. II. Obs.* 97 & 98. IVLIVS PALMARIVS CONSTANTINVS *de morbis contagiosis. L. de morsu canis rabidi. C. III. p.* 337. add. *Gentleman's Magazine. Dec.* 1756. *p.* 567.

d) Commendauit CARL BROWN Diss. *de Morbilis. Edinburg.* 1755.

§. XXV.

Quas vero insitionis laudauimus praerogatiuas, illam prae reliquis methodum exornare, quae fit vlcere parato, vltro liquet, reliquasque ob id ipsum methodos *a*) isti longe postponendas esse *b*), vix aliter naturalibus variolis praestantes, quam temporis, subiectorum & praeparationis delectu, fructu quidem neque contemnendo, neque vnquam negligendo, qui tamen vlceris beneficio comparari nullatenus potest.

a) Ita Sinenses, purulentam turundam in nares infarciendo, variolas seminant. cf. *Lettres edifiantes* infra excitand. &c. *Hannöv. Samml.*

Samml. 1756. *n.* 91. MEAD autem experimento comprobat multo maiori cum periculo tentari Sinicam, quam graecam morbum transferendi viam. *L. de variol. C. V. p.* 77. *sqq.* Insitionis etiam speciem, *Emtionis* titulo, dudum incolae Prouinciae Southwales in Anglia vsurparunt. Materiem nempe pustularum fricando communicant cum variis cutis sedibus, vel cutem acubus materiei intinctis pungunt. Quamuis etiam nil praeparationis administrent, salui tamen aegri euadunt. cf. *Part. of two Lettres from* PERROT WILLIAMS *in Philos. Trans. a.* 1722. *n.* 375. & *Lettre de* MR. DE LA COSTE *A.* 1723. Passim etiam in Germania variolas emi refertur *Miscellan. A. N. C. Dec. I. An. II. p.* 264. & *l. c. An. VIII. p.* 22. & SCHVLZE *Diss. de Variolis* §. 34. ita describit: „*obolos quosdam* „*minores probe lotos pustulis aegroti cuiusdam, si benignae fue-* „*rint, imponunt, atque per aliquot tempus super pustulas relin-* „*quunt, postea brachio, aut pedi, pectori aliisque locis sani pueri* „*alligant, quos si per breue tempus alligatos portat, variolis cor-* „*pitur paucis atque benignis, nec multis discruciatur symptoma-* „*tibus, & exempla quotidie occurrunt, quae de satis felici effectu* „*testantur.* cf. & WEDELII *Diss. de praeseruatione variolarum. p.* 21. WALDSCHMIDT. *Diss. infr. excit. Thes. XV. p.* 15. MÜLICH. *Diss. de Variol. Insit.* §. 15.

b) cf. KIRKPATRICK. *L. infr. cit. Sect. VII.*

SCRIPTORVM

DE

INOCVLATIONE VARIOLARVM NOTITIA.

An account or History of the procuring the small-pox by Incision, or Inoculation; as it has for some time been practised at Constantinople. Being the Extract of a Letter from EMANVEL TIMONIVS. *M. D. Dated at Constantinople Decembr. 1713.* Ext. *in Philosophical Transactions. Vol. XXIX. A. MDCCXIV. n. 339. Com. 5. p. 72. Historia Variolarum, quae per Incisionem excitantur, autore* EMANVELE TIMONIO *Constantinopolitano. M. D. Constantinopol. 1713.* De methodo Circassorum & Byzantina ocularis testis primus refert.

Noua & tuta Variolas excitandi per Transplantationem methodus, nuper inuenta & in vsum tracta, qua rite peracta immunia imposterum praeseruantur ab huiusmodi contagio corpora, per IACOBVM PYLARINVM, *Venetum M. D. & reipublicae Venetae apud Smyrnenses nuper consulem. Venet. 1715. 12. & Philosoph. Transact. l. c. A. 17 15/16. n. 347. Com. 2. p. 393.* Similis cum praecedente scripto argumenti est.

P. KENNEDY. *An Essay on external remedies. London. 1715. 8.* sub finem methodum inoculationis byzantinam describit. *cf. Act. Erud. Lips. April. 1716. p. 190.*

Ephe-

Ephemerid. Natur. Curioſor. Cent. V. Obſerv. 2. p. 3. ſeqq. (A. 1717.) D. D. GOTOFR. KLAVNIG *Hiſtoria Variolarum, quae per Inſitionem excitantur.* Communicat ea, quae in Philoſoph. Transact. de hoc argumento iam ſcripta erant.

Breßlauer Sammlung von Natur- und Medicin- Geſchichten. Verſuch. I. A. 1717. p. 184. ſeqq. & Verſuch. XVII. A. 1721. p. 204. Verſ. XXVI. A. 1723. p. 456. Synopſes traduntur eorum, quae prima de inſitione ſcripta Anglorum continent. *Verſ. XXIX. A. 1724. p. 207.* de Inoculatione quadam fortuito facta exponit.

Recenſetur etiam Hiſtoria Inoculationis *in Actis Eruditor. Lipſienſ. A. 1714. Menſ. Auguſt. p. 382. ſqq.*

D. ABRAH. VATERI. *Diſſ. Methodus noua transplantandi Variolas per Inſitionem, das Blatterbeltzen, e principiis phyſiologicis & pathologicis examinata, eaque rationalis, tuta atque vtilis demonſtrata, Vitenberg. 1720.* Primum diſſerit de cauſis, quae variolas adeo periculoſas, malignas atque lethiferas reddere ſolent, dein varias recenſet cautiones, quae periculum auertere poſſunt, methodum Inoculationis vlterius ex Philoſophicis Transactionibus deſcribit, bene monet comparandam non eſſe operationem transplantationibus morborum ſuperſtitioſis, tandem oſtenditur praeſtantia ex deſumto bono pure, quod viſcera non laedit, tempeſtate apta, terroris abſentia, praeparatione &c. Egregium ſcriptum inter prima.

D. ABRAH. VATERI *das Blatterbeltzen oder die Art und Weiſe die Blattern durch künſtliche Einpfropfung zu erwecken,* &c. *vormahls in einer Inaugural-Diſputation unterſuchet, nunmehro aber nebſt der völligen Nachricht von dem Vrſprung, Art zu procediren und Nutzen dieſer curieuſen Operation zu jedermanns Vnterricht in teutſcher Sprach beſchrieben und gründlich erörtert. Wittenberg. 1721. 4.* Diſſertatione quidem prolixior eſt hic Tractatus, at iisdem argumentis inhaeret, & ſimul coniecturam de Inoculatione peſtis ſimili proponit. In dedicatione clientelae Regis Poloniarum inſitionem commendat.

IAC. A CASTRO. *Diſſertatio on the methods of Inoculation. London. 1721. & Diſſertatio in nouam, tutam ac vtilem methodum Inoculationis, ſ. Tranſplantationis Variolarum Theſſaliae Conſtantinopoli & Venetiis primo inuentam, nuncque in hac ciuitate auctoritate Reg. Magn. Britanniae comprobatam cum criticis notis in varios autores de hoc morbo ſcribentes. Hamb. 1722. 8. Verſio german. eodem anno Hamburgi prodiit, & belgica Amſtelodami.* De Variolis primum in genere diſſerit, dein ea perſequitur, quae titulus indicat: inter meliora ſcripta hoc commode caremus: ſubtiliter de materia morbifica diſputat.

GVALTERI HARRIS. *M. D. Diſſertatio de peſte cui accedit deſcriptio Inoculationis Variolarum. Londini 1721. 8.* Breuis

uis & bona relatio historica de Insitione aeque Sinensi, ac Byzantina. *cf. Act. Erud. Lips. Febr. 1722. p. 89. & Dissertationes Medicae & Chirurgicae, habitae in amphitheatro Collegii Regalis medicorum Londinensium. Londin. 1725. 8. in Dissert. III.* inoculationem quidem defendit, illam tamen optimam censet, qua sine prolixa praeparatione cuticula brachii raditur & linteum pure imbutum imponitur. *cf. Act. Erudit. Lips. Iul. 1725. p. 330.*

ANTONII LE DVC. *Diss. de Byzantina Variolarum insitione. Lugd. Batau. 1722.* Praecedente prolixior insitionis Byzantinae notitia, quam proprio experimento Constantinopoli sibi acquisiuit autor. Vtile scriptum.

